Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 619
Quelle:
Copyright:

eis minimus. Notum prouerbium est. nichil tam bene dictum quod non possit deprauari &c. Confessionem hanc sive Apologiam scripsit Vir casibus suis notissimus et qui melius desiit, quam coepit, postquam Episcopi et *Bernardus Claraevall.* e conventu *Senonensi Capitula* quaedam ex ejus Libris, ut ajebant, excerpta ad *Innocentium* II. damnanda misissent. Extat bis in edit. *Opp.* ejus *Paris.* 1616. 4. primum quidem mox post *Praef. apologet. Franc. Amboesii*, dein p. 330. In *Cod.* nostro folior. ordo turbatus est ita, ut pars ejus posterior *fol. ult.* p. 2. quaeri debeat.

III. *fol.* 152. *Incipit libellus excerptus de Libris Domni Ruodberti Tuicensis Abbatis. quos paulo ante quam obiret de Meditatione Mortis componere cepit nec perfecit. Ruperti* nostri egregii Sec. XIII. Scriptoris Opera, quotquot hactenus, ut fert Titulus, haberi potuerunt, IV. *Tomis* postremum lucem videre *Venetiis* 1751. f. T. IV. Editionis hujus p. 236. incipiunt *Libri* ejus II. *de Meditatione Mortis.* Codex noster Autoris aevo, ut veri simillimum, scriptus, unicum exhibet. Tantum vero abest, ut is ex impresso *excerptus* dici possit, ut potius illo multum sit plenior, dolendumque, quod *Gregorio Cannonio* edit. cit. Curatori non innotuerit. Incipit vero: *Quid nunc agis* (edit. magis) *o anima* &c. et mox post verba: *meditatio mortis*, haec inserit: *Vaca aliquantulum deo. et requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuę. et exclude omnia prę-ter deum. et quę te iuuent ad querendum eum. et clauso ostio quere eum*, quae absunt ab editis. Dabo et alia Editionis *Capita*, quae e nostro *Cod.* subpleri possunt. Ipsum C. 1. post verba: *vitae praesentis*, nobis per 1. et *med. pag.* excurrit. C. 9. post illa: *cogitet quisque qualis futurus sit*, prolixus 2. *pagg.* locus deest, qui nobis incipit: *Beatus quoque iob preter illum proprium dolorem* &c. et finit: *tanto cicius elabitur.* Inter C. 18. et 19. aliud nobis insertum est hoc initio: *Vtinam appenderentur peccata mea* &c. et fine: *Exurge in adiutorium mihi.* C. 19. in editis ultimum ita clauditur: *et secundum utrumque reus gehennae ignis.* Noster continuat: *Sed inventum est, ut dixi ammirabile illud commercium*, et post 1. pene et *med. pag.* definit: *non morietur in eternum. Ipsi honor. laus et gloria. et imperium. a seculo. et nunc et semper* &c. Deest vero etiam, ut nihil dissimulem, in *Nostro* locus ille C. 2. qui incipit: *Haec nostra propositio est* &c. quo Titulum Opusculi enunciat *Rupertus*, et ejus scribendi occasionem. Vide et *Cod.* CCCIX.

IV. *fol.* 170. p. 2. Epistola inscripta: *H. Sancti Victoris Priori. W. Salutem.* Litera prima *Hugonem* denotat, quem tamen quidam *Priorem* Collegii sui fuisse negant. *W. Walterum* seu *Gualterum de Mauritania*, *Maritania*, *Mortagnia*, *Moretonia*, e Professore Rhet. in *Monte S. Genovefae*,